

lium. Fuit *Stephanus* iste *Cantuariensis* Episcopus mortuus anno 1228. commentatus in plurimos Libros Veteris praecipue Testamenti, ut habes apud *Caveum* et *Oudinum*, unde posterum quis facile spicas ejus *Hugonianaë* messi miscere potuit, ut pluribus Glosfarum corporibus accidit. Codicem nostrum terminat nota illa *Interpretatio hebraicorum nominum*.

## XIX.

- C. 938 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 717. 4. min. per duas columnas minutius, sed nitidissime exaratus, coloribusque distinctus, olim, ut ad calcem notatur, *ecclesie sancti monasterij sancti michaelis in antuerpia*, quod est Collegium *Praemonstratensium* ab ipso S. *Norberto* fundatum, dein nobilis *Parthenonis*, qui *Halae ad Oenum* floruit, continet sacra *Biblia V. et N. T.* cum solitis *Hieronymi* Praefationibus, et Librorum Argumentis. L. II. *Paralip. fol. 242. p. 2.* adscripta est absque titulo, aut intervallo *Oratio Manassis*, huicque per errorem minio subjectum: *Explicit nehemiae*. Rursus ad calcem *Libri Nehemiae* five II. *Esdrae* notatum *fol. 255. p. 2. Explicit primus liber esdre. Incipit liber secundus esdre*, qui tamen est *Tertius* ille apocryphus. *Psalmi fol. 297. p. 2.* audiunt *Liber hymnorum uel soliloquiorum. Machabaeis* praefixi sunt Prologi *Rabani* ad *Ludovicum R.* et *Geroldum Archidiaconum. Fol. 658. I. Job. c. 5.*

ad testimonium terrestre omittitur 10: *Et hi tres unum sunt*. In fine accedunt notae *Interpretationes hebraicorum nominum*.

## XX.

- Codex membranaceus lat. Sec. R. 1108 XIV. Folior. 370. 4. min. perquam nitide, sed lyncibus scriptus columnis duabus, distinctus coloribus, et quondam, ut praefert, *S. Vdalrici Augustae*, quod O. S. B. Coenobium est, comprehendit *Sacra Biblia* Versionis vulgatae, sine *Psalterio*, nec adfunt ubique Praefationes *Hieronymi*, ea, quae in *Jobum* est, ad calcem hujus Libri scripta. Cetera rite procedunt. Nullus *Liber III. Esdrae*, nulla *ad Laodicenses Epistola*. Testimonium duplex I. *Job. c. 5. a* prima manu exactum est. Accedit solita Interpretatio Vocum hebr. et graec. et currente calamo adjectus Index Epistolar. et Evangelior. per annum, sive *Lictionarium*.

## XXI.

- Codex membranaceus lat. Sec. R. 3146 XIV. Folior. 510. 4. min. per duas columnas minutissime, sed nitide perscriptus, coloribus distinctus, et initiis omnium Librorum adfabre picturatus *Sacra Biblia* vulgatae interpretationis, ordine consueto, Prologis *Hieronymianis* et solitis Argumentis instructa continet, excepto *Psalterio*. Adest *Esdrae Liber III.* sed in margine rubrica *Apocriphus* con-